

S. 71

1298 (97) Febr. 26.

Bischof Everhard von Münster befundet die Aussöhnung zwischen
Theoderich von Schonebeck und dem Stift Breden.

Everhardus Dei gratia Monasteriensis . . episcopus universis presentia visuris et audituris salutem et cognoscere veritatem. Noveritis, quod cum dilecti in Christo . . preposita et . . capitulum secularis ecclesie Vredensis Theodericum dictum de Schonenbecke militem traxissent in causam super eo, quod idem Theodericus curtem dictam Kukelhem sitam in parrochia Sutlon, cuius proprietas ad ipsam ecclesiam Vredensem pertinere dinoscitur, pleno iure iam pluribus annis tenuit et habuit sub certa annua pensione solvenda preposite et . . capitulo supradictis, videlicet omni anno sex molcia ordei, tria molcia siliquinis mensure spikermate Vredensis, sedecim arietes et duos solidos Monasteriensium denariorum, a cuius pensionis solutione viginti septem annis continue cessaverat ac mansos in ipsam curtem pertinentes pluribus annis occupaverit, ita quod ipsa . . preposita et capitulum servitia de eisdem mansis debita et pensiones infra iam dictos annos nullatenus sunt consecuti. Dictis itaque partibus tandem in nostra presentia et capituli nostri seu majoris partis eiusdem constitutis ipsa . . preposita (et capitulum) ipsi Theoderico solutionem pensionis undecim annorum de dictis viginti et septem annis remiserunt, ipse vero Theodericus pro solutione pensionis sedecim annorum detente ipsum curtem Kukelhem cum omnibus suis attinenciis eidem . . preposite et . . capitulo obligavit, ita quod idem Theodericus de hominibus dictae curtis et mansorum eidem attinencium nec de paschuis, pratis, nemoribus, agris, terris cultis et incultis eorundem aliquatenus se intromittet per se vel per alium nec precarias seu exactions in homines ipsos faciet seu bonis predictis nec exuvias seu hereditates tollet vel quicquam iuris in hominibus et bonis ipsius curtis et mansorum eidem attinentium habebit seu sibi usurpabit, quoque dicta preposita et capitulum dictam pensionem sedecim annorum detentam similiter et pensionem omni anno ipsis debitam de ipsa curte et attinentiarum suarum plenarie consequantur, salvo extunc, ut exnunc dictae preposite et capitulo iure suo, quod habent in curte et mansis supradictis. Ad que omnia et singula observanda idem Theodericus fide corporali prestita in manus nostras se omni dolo et fraude exclusis obligavit. In cuius rei testimonium sigillum nostrum una cum

sigillis capituli ecclesie nostre Monasteriensis ad causas ac prefati Theoderici presentibus sunt appensa. Datum et actum anno Domini M^oCC^o nonagesimo septimo, feria quarta post festum beati Mathie apostoli.

2. Orig. 3 Siegel ab; Lade 217, 1 Nr. 16 u. 17. Die eingeflammerten
Märkte (...) in Nr. 17 übergeschrieben und abhand in Nr. 16.